

PROOEMIUM.



Num Sæcularem Ecclesiæ Cæsareæ,

quæ ab ipsis primordiis M. Aurelio Augu-
stino Hippone Episcopo, & Religionis ab eo
dictæ Optimo Parenti ex voto Friderici III.

Aug. Austriaci consecrata est, condi cœptæ

*Quartum, * ab introductione Reformatæ Augustiniano-
rum Discalceat. Religionis auspiciis gloriofissimæ memo-
riæ Ferdinandi II. Augusti Primum * acturi, receptum
tam privatim, quād publicè morem sequimur. Exempla
ejusmodi celebritatum, qua sacra, qua profana, annales
exhibit, mysticis etiam (si Rutilio Benzonio credimus) *
figuris præsignata, cūm Noë lapsis centum annis, quos ar-
cæ struendæ impenderat, votiva DEO, & velut sæcula-
ria sacra, peregit. Ut taceamus, vel annos Jubilæos lege
Numinis Israæli præceptos, aut sæcularem ætatem Romanis
à C.U. celeberrimam, quam in ære, & nummis, posteris
transcripsere. Quin & ominus locò Centenarium numerum
fuisse liquet, quod plerūque maxima quæque eō numerō
designarent: Viros, quibus Respublica curæ esset, totidem
legerent, locum agitandis consiliis decretum, Centumvira-
lem bastam dicerent, ipsa sacrificia, quæ Solemnissima ba-
bebantur, ludis sæcularibus actis, centum aris, totidemque
victimis definirent, inde heccatombe dicta. Quid, quod
S. Mater Ecclesia centesimum annum celeberrimum, & Ju-
bileum habeat, ut emensâ quadam annorum serie DEO
Tutori, Conservatori gratias, sæculari Sacrificio, conflu-
ente in immensum populo, persolvat. Hoc animo sæcularem
suum annum Augustiniana Discalceata Religio celebrem ha-
bet, quod Regi sæculorum imortali DEO* Augustissimæ Do-
mui Austriacæ, quam sæculorum exemplo, & admirationi
Providentia servat, pro modulo saltē grati animi testimonia
exhiberemus. Originem proinde Basilicæ Cæsareæ (cui gratiæ
Augustissimorum deservimus) Progressum, res notari dignas,
mortuales lapides heroū nominibus insignes, seriem tandem
sumæ nobilitatis lapsis quadringentis annis conditæ, quan-
tum per vetustatis tenebras, & scriptorum propè omnium ja-
cturā licet dabimus, ut viventes videant, sciant posteri, quād
jure præsens sæcularis, nobis sit Annus divinæ Bonitatis. **

* Iacta s.
sunt Fun-
damenta
1330. M.S.
* An. Chr.
1630. 16.
Maji M.S.

* Tract. de
An. S. Jub.

* I. ad
Thlm. I.

* S. Ambt.
L. de Inst.
Basil. Virg. c. 15.